



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pauli Segneri Societatis Jesu Brevis Vitæ Historia  
cum ejusdem Concordia Quietis & Laboris in Oratione,  
Expositione in Psalmum Miserere, Considerationibus de  
Inferno, Expositione Cantici ...**

**Massei, Giuseppe**

**AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ, 1707**

**VD18 12383155**

§. XXXXVI. Quàm purus hic ejus amor?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47773](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-47773)

temp̄ te, & tanto tempore rationem tui nullam habui; re-  
cessi à te; vindica quāso has injurias: en cor meum, vulnera  
illud, & plagis omni ex parte concide; sed vulnera sagittis di-  
vini amoris tui, sic ut vel ingratissimis velit tibi omne bonum,  
quod tibi debetur. Aliter, mi Amor, vindictam sumere de-  
me non potes; nec enim nunc judicij, sed miserationis tempus  
est. Et paulò post. Tu es totus amabilis, totus dulcis, totus  
suavis: & ego te tamen ita tractavi, ac si crudelior homo te in  
mundo non esset. Veni igitur, & vindica injuriam: fac ut  
cor meum amore gravissimè saucium sibi ipse irascatur, & ne-  
cessē habeat fateri, exclamando tam ardoris, quām dulcedinis  
vi; se nimium quantum aberravisse.

## §. XXXXVI.

## Quām purus hicejus amor?

**D**EUM amare, DEO sincerè servire, erat id omne,  
quod ipse aestimabat, & quærebat: & hoc ipse de-  
claravit in una ad aliquem è Nostris epistola. Pater  
mi care, inquit, profecto non est quidquam aliud, quām ser-  
vire DEO, ardere sancto ejus amore, & facere sanctissimam  
ejus voluntatem in omnire, aequali cum voluptate: quidquid  
aliud est, mendacium est. Nil illi perinde displicebat, quām  
quod videretur sibi non amare DEUM, nec facere ejus  
causā tantum, quantum se debere existimabat. Idcirco  
dum intimo cuidam suo scribit: Fateor tibi, ait, ingenuè,  
hoc solum acerbum & amarum mihi est, quod hucusque non po-  
tuerim DEO exhibere minimum indicium veri amoris: neque  
enim scio, amēmne illum propter id quod est, an propter id quod  
nobis donat. Et tamen constat nobis, Amorem P. Segneri  
tam

tam fuisse purum ac defæcatum ab omni proprij commodi studio, ut affirmare non dubitaret, se nec quidem animam suam amare, quia sua, sed solùm quia DEI erat: nec deest qui testetur à se auditum cùm diceret; quodsi unquam in animum induxisset, sibi æternùm in damnatorum rogo ar- dendum, non idcirco destitutum facere pro DEI gloria, quidquid uspiam posset.

§. XXXXVII.

*Desiderium jungendi se D E O amato.*

**H**abet id amor DEI , si magnus ac germanus est , ut ex eo nascatur ardens desiderium penitus & intimè se conjungendi cum amato , & quamprimum abeundi ad videndum illum revelata facie ; vnde illa tam familiaria , & quotidiana Sanctis verba ac clamores : *Cupio dissolvi , & esse cum Christo.* Ad felicem hanc dissolutionem P. Paulus mirabili quadam & sanctâ intolerantiâ anhelabat , quam expressit aliquando in suis illis adversariis , in quæ orationis suæ fructus referebat , ubi dum inflammato suo cordi liberas habenas laxat , nos eadem operâ insigne arcanum docet , & sic loquitur . *Festinemus ergo ingredi in illam requiem :* Sic , ô mi DEUS , loqui me docet ardentissimus ille tuus Apostolus , & ita me excitat , ut festinem ingredi in beatam illam requiem , quam pro miseratione tua in cælo mihi paratam habes , si miserandus ego humuncio malis meis meritis me nimis quam indignum non reddidero . Sed quid agendum mihi est , ut festinare dicar ad obtinendum bonum tam ingens ? An fortassis meis ego manibus aperire possum

M 3                          fores "